



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Elogia Societatis Iesv Sive Propvgnacvlvm: Pontificum,
Conciliorum, Cardinalium, Antistitum, nec non
Imperatorum, Regum, Principum & aliorum Virtute,
Religione, omniq[ue] Literatura illustrium (etiam ...**

Gomez, Cristobal

Antverpiæ, 1681

Ernestus Leodiensis n. 78

urn:nbn:de:hbz:466:1-38486

voluntatis interpretis Nam ea tametsi auctoritatem habeant à manu illa, calamoque profecta; cum tamen tanta sint, ut ea per modestiam referre nobis non liceat, malim nos eam eius laudem potius mereri, quam scribere.

*Principis
Ernesti
noui Anti-
stis Leo-
diensis in
Societatem
fauor.*

78. AB ERNESTO *Guilhelmi Bauariæ Ducis fratre, is Leodiensis Pastor, ac Princeps creatus, tam præclara Sociorum, qui adhuc Leodij egerant, opinione imbutus, ut hæc ipsa verba ad Generalem Claudium scripserit, Cum autem Vestræ Societatis Patres in dicta nostra Ciuitate concionibus, & Sacramentorum administratione ab eo, quo ibi cœperunt esse tempore, talem in Catholica Ecclesia, & religione profectum per Dei gratiam fecerint, ut omnibus alijs circumuicinis Prouincijs Belgicis in hæresim, & seditiones varias lapsis, sola Ecclesia, & patria Leodiensis religionem Catholicam retineat, nullisque hæreticis locum concedat, omnem adhibere operam tene-mur, & desideramus ut id sit perpetuum; Patres vestri tanti boni auctores nullam vnquam è nostra ciuitate, & Prouincia recedendi occasionem habeant, sed ipsis de Ecclesia, & loco professioni ipsorum maxime idoneo, doteque sufficienti prouideatur. Hactenus ille; qui urgente Leuino Torrentio insigni viro pietate, ac literis Collegium absoluit. Ita Par. 5. Hist. Soc. Tom. I. lib. 1. n. 180.*

*Is Colle-
gium ab-
soluit, à
Card. Ge-
rardo in-
choatum.*

*Aduentus
Societatis
frustra ex-
positur in
Mexicum.*

79. A VASCO DE QUIROGA *Episcopo Mechoacanensi in Regno Mexicano: Is, perlata illuc fortè primâ famâ confirmatæ per Sedem Apostolicam Societatis IESV, institit vehementer, missò etiam ad hoc in Hispaniam vno è suis familiaribus, lecto venerando-que Sacerdote, ut aliquot è socijs ad se mitterentur, quod vbi tum impetrari non potuit, ad reuersum infecta re Canonicum Pius Antistes, Spiritu sancto Auctore, ut viri Sanctitas, & euentuum fides probat, hæc ipsa verba protulit: Nunc quidem digni non fuimus: sed erit tempus quando huc quoque SOCIETAS IESV veniet ingenti harum gentium bono. Mortuo deinde optimo Præsule cum esset auditum ab eius Canonicis de aduentu nostrorum in Mexicum, ijs missa statim legatione Pascuariam accitis, ædes ipsa sacra, in qua,*